

CATHOLICO

# REGI PHILIPPO

MAGNO HISPANIARVM

MONARCHÆ FELICISSIMO,

De Christi Ecclesia maximè benemerito .

FRATER DOMINICVS BANNES SACRAE

Theologiæ Professor, cęlestis Regni felicitatem precatur ,

ac de Theologicis uirtutibus tractatum dedicat .



*Um insignis ille concionator , vatesq̃ diuinus  
Isaias ( ò Magnæ & Catholice Rex ) Eccle-  
siam Christi iam gentium multitudine decora-  
tam , regum ac principum suffultam præsi-  
dijs in dies magis ac magis augeri ac propagari ,  
aliquando prophetica mente contemplaretur ; mortales omnes  
spe huius tantæ futuræ felicitatis talibus verbis erigebat ; E-  
runt ( inquit ) Reges nutritij tui , & Reginae nutrices tuae , uul-  
tu demisso adorabunt te , & puluerem pedum tuorum lingent .  
Et alibi ; Sugelac Gentium , & mamilla regum lactaberis .  
Quibus verbis Reges ac principes , explosis deorum mutis si-  
mulacris , ac delubris , ad Ecclesiam Christi confluentes ita eius  
fidem forti constantiq̃ animo amplexuros esse præcinit : vt  
ne quid Ecclesiæ hostes molirentur , & ne illorum insidijs aut  
hostilibus armis eius felicissimus impediretur cursus , sollicitè  
ipsi prouiderent , suasq̃ omnes vires , atque potentiam ad  
eam protegendam impenderent . Atque ita factum est , vt  
Ecclesia tanquam ciuitas in eminenti , præruptoq̃ monte sita  
pacatum securumq̃ , refugium aduentantibus præberet eademq̃*

Isa. c. 49.

Cap. 60.